

atque ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως innititur 1 Cor. II, 4. Sic itaque autoritas Scripturæ multis quidem de causis credi potest, non solum tanquam probabiliter vera, sed etiam tanquam humanitas infallibilis; fide autem divina & salutari eadem ut teneatur, principio demonstrandi opus est supernaturali & divino, quod supernaturalem ejusmodi fidem operetur (\*).

II. Insignem tamen usum præstant prioris quoque generis argumenta, in præparandis ac inducendis infidelium animis ad lectionem, auditum & meditationem Scripturæ S. in propulsandis adversariorum Scripturæ calumniis & telis; in redigendis ad silentium frustra oblatrantibus, ne habeant, quod cum veri quadam similitudine, divinæ S. Codicis dignitati obvertere queant; in eximendis scrupulis eorum animis, qui de ἀσθεντία Scripturæ tentati, hærent in suspensio; demum in confirmandis piis, qui sententiam suam, quam dextre de Scriptura fovent, haud infirmo niti talo, nec in præjudicatas majorum aut doctorum suorum opiniones recumbere, sed solidis demonstrari rationibus, mirifice gaudent. Unde ab his quoque disputationis cum Atheo vel Anti-Scripturario, ducenda sunt initia, & externis hujusmodi κερτυρίοις & credibilitatis motivis præparandi & ita instituendi eorum animi, ut mitius de Scriptura sentiant & loquantur, aurem eidem præbeant, & cum studio ac desiderio discendi eandem legant ac meditentur, cujus demum beneficio ac virtute fidem nanciscentur divinam. Hinc &, quo amplior, in hac senescentis mundi sentina, propullulat Scepticorum & adversariorum Scripturæ progenies, eo intensior ponenda est opera in ornandis firmandisque argumentis istis, quibus maleferiatorum hominum petulantia compesci, & objici queat obex, ne latius malum serpat, aliosque irretiat incautos (\*\*).

### III. Quan-

(\*) Confer b. Hulsemanni *prælect. in Form. Conc. Art. I. cap. II. §. 3. sqq. p. 216.* & b. Joh. Musæi *Introduct. in Theol. P. II. Cap. IV. p. 296. sqq.*

(\*\*) Hinc est, ut summo studio in hac palæstra versati sint viri Summi, e Theologis nostris b. Ægid. Hannius *lib. de majestate & certitud. Scripturæ S. T. I. Opp. ab initio*, Joh. Musæus *cit. loc. cap. V. sqq. p. 303.* b. Joh. Schræderus *lib. de principio Theol. cap. I.* & recentissime Dn.